

## Terenzio, *Eunuchus* 1-45

### PROLOGUS

Si quisquamst qui placere se studeat bonis  
quam plurimis et minime multos laedere,  
in his poeta hic nomen profitetur suom.  
Tum si quis est qui dictum in se inclementius  
existumavit esse, sic existumet: 5  
responsum, non dictum esse, quia laesit prior;  
qui bene vortendo et easdem scribendo male  
ex Graecis bonīs Latinas fecit non bonas.  
Idem Menandri Phasma nuper perdidit,  
atque in Thesauro scripsit causam dicere 10  
prius unde petitur, aurum qua re sit suom,  
quam illic qui petit, unde is sit thesaurus sibi  
aut unde in patrium monumentum pervenerit.  
Dehinc ne frustretur ipse se aut sic cogitet:  
'Defunctus iam sum, nil est quod dicat mihi'; 15  
is ne erret moneo et desinat laccessere:  
habeo alia multa quae nunc condonabitur,  
quae proferentur post si perget laedere  
ita ūt facere instituit. Quam nunc acturi sumus  
Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt, 20  
perfecit sibi ut inspiciundi esset copia.  
Magīstratus quōm ibi adesset, oceptast agi.  
Exclamat furem, non poetam fabulam  
dedisse, et nil dedisse verborum tamen;  
Colacem esse Naevi et Plauti, veterem fabulam: 25  
parasiti personam inde ablatam et militis.  
Si id est peccatum, peccatum imprudentiast  
poetae, non quo furtum facere studuerit.  
Id ita esse vos iam iudicare poteritis.

Colax Menandrist, in east parasitus colax 30  
et miles gloriosus. Eās se non negat  
personas transtulisse in Eunuchum suam  
ex Graeca; sed eas fabulas factas prius  
Latinas scisse sese, id vero pernegat.  
Quod si personis isdem huic uti non licet, 35  
qui magis licet currentem servom scribere,  
bonas matronas facere, meretrices malas,  
parasitum edacem, gloriosum militem,  
puerum supponi, falli per servom senem,  
amare odisse suspicari? Denique 40  
nullumst iam dictum quod non dictum sit prius.  
Qua re aequomst vos cognoscere atque ignoscere,  
quae veteres factitarunt si faciunt novi.  
Date operam, cum silentio animum attendite,  
ut pernoscatis quid sibi Eunuchus velit. 45

**Metro: senari giambici**